

§. 6. Quia constat jam signa Zodiaci de invisibili esse intelligenda tenendum etiam quod primò signum dicatur illa superficies & pars fasciæ in orbe ἀνάσσω longa 30, lata 18.0. adeoque dum sol in signo esse dicitur, propositio in pro sub accipitur. Secundo sumitur pro pyramide quadrilatera cujus basis est signum in prima acceptione, vertex autem centrum universi, in hac acceptione planetæ sunt in signis. In tertia acceptione est superficies, sicut in prima, ex intersectione 6. circulorum maximorū per utrosq; polos & initia 12. signorū, doctorū orta. Quarto sumitur pro soliditate quasi orta ex tali circulorum etiam divisione, qua ratione quicquid in mundo est ad signa referri potest. Sed Astronomis signum est duodecima pars Eclipticæ, de qua jamjam, si enim per polos Zod. & punctum quodvis intelligatur transire superficies circuli maximi, dicitur id in eo esse signo, ad quod pertingit peripheria circuli dicti in Ecl.

§. 7. Hactenus de divisione Zodiaci quæ longitudinem. Constat autem is etiam latitudine, quæ à veteribus variè assumpta fuit, hodiè verò à recentioribus 18. graduum retinetur securitatis gratia. Idque fit quia Planetæ sole excepto utrinque ab Ecl. per 9. 0. evagantur nonnunquam, quamvis Venerem magis evagatam observasse referantur alii. Hinc dicitur receptaculum Planetarum & ob hanc latitudinem propriè circulus dici nequit, uti ex definitione constat. Sed Zona aut fascia.

§. 8. Circulus qui medietatem Zodiaci dirimit vocatur Ecliptica, & est circulus maximus mobilis & invariabilis, Solis ostendens motum proprium, cujus etiam perpetuum receptaculum est. Atque ita dicitur ab ἐκλείπω, deficio, quia est causa Eclipsium Solis in noviluniis & Lunæ in pleniluniis; quando enim ☽ est in illius plano aut debitæ latitudinis terminos in Theoricis definitos non excedit, intercedere potest inter Solem & visum nostrum ☽ ac ☉ deficere; aut inter Lunam & nos umbra terræ & sic Luna deliquium pati. Frequenter autem Eclipticæ nomine venit peripheria circuli, quàm ipse circulus. Dicitur etiam Via Regia, quia ☉ Rex